



**Disputatio philosophica inauguralis de montibus ignivomis :
quam ... auctoritate ... Gerardi de Vries ... eruditorum examini
submittit Abrah. Gerardus Bocstadius.**

<https://hdl.handle.net/1874/343821>

43.

DISPUTATIO PHILOSOPHICAL
INAUGURALIS,

MONTIBUS
IGNIVOMIS;

Q V A M,
DEI TER. OPT. MAX. FRETUS AUXILIO,
Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

M. GERARDI de VRIES,

Philosophiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicorum consensu, & Subtilissima
Facultatis PHILOSOPHICÆ Decreto.*

Pro DOCTORATUS Gradu, & ARTIUM LIBERALIUM MAGI-
STERIO, summisque in PHILOSOPHIA honoribus & præ-
rogativis rite ac legitime consequendis,

Eruditorum examini submittit

ABRAH. GERARDUS BOCSTADIUS, RHENO-TRAJECT.

Ad diem 3. Februarii, horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academice
Typographi, clc Ic xciii.

NOBILISSIMIS, AMPLESSIMIS,
VIRIS,

D.D. EVERARD O
à SYPESTEYN, M.D.

D.D. ARNOLD O
SPOOR, J^{cto}.

INCLYTÆ REPUBLICÆ

ULTRAJECTINÆ

CONSULIBUS,

MÆCENATIBUS ATQUE FAUTORIBUS
DE SE OPTIME MERITIS,

OB PLURIMA IN SE COLLATA BENEFICIA
HOC EXERCITIUM PHILOSOPHICUM INAUGURALE

JUSTA SE IPSUM,
HUMILLIMA DEVOTIONE

SACRUM FACIT

ABRAHAMUS GERARDUS, BOCSTADIUS,

AUCTOR ET RESPONDENS.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

INAUGURALIS,

D E

MONTIBUS
IGNIVOMIS.

THE S I S I.



ETEORA inter cætera quæ in mirabili hac Mundi fabrica , & præsertim intra Lunæ Sphaeram , notabiliora occurunt naturæ admiranda , non minimam merentur attentio- nem ; nec minorem quæ gignuntur in imis globi nostri Terrauei partibus , & anfractuo- sis meatibus ac cavernis subterraneis . Mi- rum in modum variant Meteora , quæ in aëre oculis nostris obvertuntur , diversas ob cau- fas , variantibus anni tempestatibus : siveque

Edunt in lucem miracula maxima Mundi ,

Natura cursu , que quis habere potest .

Labitur hic ingens liquidis è nubibus imber ,

Et petit e superis inferiora locis .

Dant pluvias , rores , variosque elementa colores ,

Fulmina , tum ventos , grandinis atque globos .

Ut lapis artificum vitreo dat in orbe figuras

Innumeras , tales aëris aura fovet .

In magna hac meteororum discrepancia in sublimi genitorum , non ultimo loco admiranda veniunt ob stupendos sœpe effectus Fulmi- na , & horrenda cum hisce conjuncta Tonitrua ; qui sonus fractæ nubis fragor est , ortus ex undulante motu collisi aëris : ejus causa est materia sulphurea ac nitrosa collecta in cavitate nubis , ibidemque accensa , magna vi erumpens . Quibus fulminum causis , & effectis , non absimiles sunt inter meteora subterranea , horrendorum ac mi-

rabilium

4 DISPUTATIO PHILOSOPHICA

rabilium effectuum eos concomitantium, qui cerebrum subtilissimi cujusque Philosophi exercere poterunt, MONTES IGNIVOMI. De hisce (occasione facta, quod ex novellis nuperius intelleximus vehementiori incendio sœviisse quandam in India Flammivomum) breviter, pro Exercitationis angustia differere, & eorum materiam, causam incendi, adjuncta, mirabileisque effectus investigare, & si potè cognoscere, est animus. Neque metuemus hic alicujus censuram incurrere, si nonnulla forsan occurrant, quæ minus latinum sapere videantur: Philosophum namque non Litteratorem aut Grammaticum, hic nos agere, cendum. Itaque, non exhorrescentes terribilissima horum Montium incendia, tuto enim & firmiori solo insistimus, ad ignes hos accedamus!

I I.

Ignivomi hi Montes, de quibus sermo noster instituetur, sæpius appellantur Vulcanii, ab ignis præside, uti notum, Vulcano; etiam Flammivomi dicti, evomunt enim fumos, flamas, igneos torrentes ex sulphure consimilique materia accendibili, quæ scendent inferiora Ætnæorum barathra, & cum ipsis flammis, non sine horrendo fremitu ac mugitibus, ingentes arenarum cumulos exhalant: &, ut Lucretius alibi asserit de Ætna,

Extruditque simul mirando pondere saxa.

Emittunt Vulcanii insuper nonnunquam metalla liquefacta; hinc ex Hispanis, cum primum in Novum orbem, Americam, transcederant, non defuere, qui ex Ætnæ cuiusdam barathro liquefactum posse exhaustiri aurum putantes, urnam ferream in craterem immiserunt, ut ita integris urnis aurum caperent: verum turpiter avaritia illorum illusit industriam; qui enim ignis erat liquefacturus aurum, quid ni idem ferrum? Adhæc eructant Flammivomi cineres, funestosque ignium globos, & ab horum ferocia exesos lapides tam immensæ magnitudinis, ut maximas saepe ædes adæquent; quique expulsi flamas adhuc aliquandiu retinent, & ardore videntur; nec non profluvia pinguium liquorum, similiisque copiosissimam quantitatem, è montis barathro enatam, & a frigore aëris in vallium lateribus condensatam, veluti *aurib[us]* referunt. Prædominatur tamen in Ætnæorum abysso ignis, qui imprimis hic est spectabilis, cæterorumque effectuum causa existit; & hinc horum Montium facta denominatio.

III. Fomen-

INAUGURALIS.

5

III.

Fomentum flammarum alens non potest esse elementum terra; nam

Terra nihil per se tenuis producit in auras.

Nec potest esse quid aliud in ignem mutatum, essentialē enim elementorum transmutationem viribus naturae possibilem non fert cum ratione collata experientia. Alia ergo non potest hæc esse materia, quam quæ magnam in se continet particularum ignearum copiam. Detexerunt Plinius aliquæ hoc naturæ arcanum, in omnibus Mundi partibus delitescere ignem; atque hunc

ire per omnes Terrasque, tractasque maris, cœlumque profundum.
Ut nullus ferè in toto orbe locus sit, qui non hujus ignis effectus arguat. Audiamus Manilium in Astronomicis;

Sunt autem cunctis permixti partibus ignes,
Qui gravidas habitant fabricantes fulmina nubes,
Et penetrant terras, Ætbraque minantur Olympo,
Et calidas reddunt ipsis in fontibus undas.

Et hæc ita sese habere experimento compertum irrefragabili à non uno, qui in Ætnæ, Vesuvii, & Strongyli exustarum igne valuum crepidinibus, in quarum plerisque parietibus, cineres, immensam Salis, Aluminis, Nitriique efflorescentis copiam, in nonnullis quoque Bituminis, Naphtæ, similiisque pinguium liquorum profluviis, una cum copiosissima Sulphuris quantitate, reperit. His accedit graveolentia cinerum, rerum combustarum fœtore sulphureo imprægnata, longissime transvecta. Terræ motus circa Ignivomos frequentes, uti in coelo tonitrua & fulgura, mineralium sapore imbutos fontes; nec non sulphuris circa eosdem inventæ fodinæ, quod de Hecla Islandæ Ignovomo, unamiter testantur Geographi. Patet itaque satis, Sulphur, Bitumen, Alumen, Naphtam, consimilemque materiam, horum ignium esse pabulum. Quibus adde & aliam materiam, quæ flatu suo vehementi materiam combustilem non tantum excitat, sed & ferventissimas flamas continuo animat, ut sunt venti subterranei, per canales, aquarum ductibus junctos, vel in ipsa deducti Pyrophylacia. Haud secus ac fabri ferrarii follium flatu ac frigidam suffundendo, ignem in foco potenter inflant & excitant, sique ignis fervorem germinant. Idem fit si salis grana in ignem immittantur. Hinc sëpe fredo siculo fu-

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

rente, Ætna vehementius excedit; aqua marina exasperante flammam. Maximum tamen momentum huc adserit Nitrum, quod & ibidem invenitur tumidissimis abundans spiritibus. Hæc quidem corpora Vulcano non sunt fomentum, verum flammarum exacerbant. Ut videre est in Æolipila, ex parte aqua repleta, ab admoto igne halitus aquæ rarefieri ac dilatafi, & magna vi erumpentes perforamen, vehementissimum producere ventum. Haud dubio subterraneus ignis sic etiam expandit halitus ibidem existentes, flatumque excitat subterraneum. Concludimus ergo, incendorum horum Montium causam materialem esse Sulphur, Salem, Nitrum, Bitumen, similesque ignibus Vulcaniis vehementissime sovendis aptas materias.

I V. i modis sumatur. 12192

Quomodo vero jam dictæ materiali ignem concipiunt? Utique haud à Sole, licet in Zenith constituto, nec à Stellis; impares enim revera sunt ob nimiam voraginem profunditatem, quo minus ad intimum terrestrium viscerum medullum virtute sua pertingant. Litem hanc vel sola Hecla decidet, adeò Polo Boreo vicina, ut ferme Arctico Circulo subsistat. Ergo non ab alio, quam ab igne subterraneo, de cuius existentia nemo dubitet; cum flumina, fontes, Thermae, terræ-motuum ortus, sine eo explicari nequeant. Poëtis quoque adeò tritus est hic ignis subterraneus, ut omnes de Vulcano fabulae ad illum alludere videantur. Audiamus Lucretium hisce verbis canentem;

Principio Tellus habet in se corpora prima,

Unde mare immensum, volentes flumina fontes,

Affidue renovent; habet ignes, unde oriuntur.

Nam multis succensa locis ardent soli terre.

Ex imis vero furit ignibus impetus Ætna.

Subterraneorum ignium Telluris Oeconomia tanta est necessitas, ut Tarraquei Globi interiora viscera frigoris inclemens obrigescerent, & ad interiores naturæ operations in Mineralium metallorumque generatione prorsus inutiles forent: adeo

Hinc capiunt vires cuncta Metalla suas.

V.

Existimandum porro, Terram nostram intus constare partibus maxima

E A

maxime Heterogeneis, rerum combustilium, Mercurii, variorumque Mineralium: &c, ut Poëta;

Quam multas terras lapides, quam multa metallorum.

Ardus terrene viscera molis habent.

Atque ita sapientissimo Dei consilio, omnia nature semina Terreno, globo congenita, ab igne Subterraneo animantur, ut in eam rerum, tum multitudinem, tum varietatem agerent, quam tum intra intima Terræ viscera, tum externa ejusdem superficie, ab universi Conditore productam, cum admiratione intuemur. Insuper concipiendum, Terram intus esse cavernosam, plurimi ductibus ac subterraneis meandris perviam; inque cujus intimis penetralibus conduntur Pyrophylacia, ut sunt abyssi ingentes in Telluris visceribus inaccessis reconditæ, ignibus Subterraneis plenæ. Quod perquam satis demonstrant montes Vulcani, qui minimè fundo montium inexistunt, sed habent suas in profundissimis Terra visceribus officinas & focos; quorum montes Ignivomi non nisi spiracula quædam sunt, ad fumos, flammas, cæneres, fuliginem superfluam, æstuque concepti vehementiam, ne Terram intolerabilibus motibus continet concutiant, seu per publicos hosce caminos, exonerandam. Sic provida natura altissimos Montes, veluti ignium subterraneorum terminos quosdam constituit: ubicunque enim Vulcanus est, ibi subtus Pyrophylacium esse, tam certum est, quam camino subesse, vel culinam, vel fornacem, aut cacabum, vel simile quid. Nemo ergo Philosophus ignem subterraneum dari negare poterit. Consideret namque adhæc Sulphuricos ignes non ex Terra tantum, sed & vel ipso mari proruptentes; Terrarum multitudinem & varietatem ubique locorum passim obviam, haud dubie hos ignes, hos calores, hæc ingentium Vulcaniorum æstuaria, non in aere, aut aqua, sed in imis Terræ penetralibus natales suos habere, afferere vel invitum cogetur. Unde enim tanta ubique locorum Metallicæ, cæterorumque mineralium, miscellæ, tanta Sulphuris, bituminis, naphthæ copia; præterea salis, nitri, Aluminis, Halinitri, Salis Ammoniaci, & quicquid ubique reperitur, copiosissima quantitas: ea sine igne, sine ullo naturæ caloris æstu, frigidissimis illis caliginis umbris & carceribus, ab omni Solari influxu, uti ex iv. Thesi constat, remotissimis, nasci est inconceptibile. Itaque satis superque adstruximus ignium subterraneorum existentiam, internæ Telluris Occo-

8^o DISPUTATIO PHILOSOPHICA

Oeconomia necessitatem, eorum naturam varia combustilium rerum miscella esse contaminatam; horumque locum inspeximus; quem ineptè sibi vulgus persuadet aeternam esse damnatorum sedem infernalem, & ad poenam destinatum carcerem. Incerta etiam sunt, quæ nonnulli asserunt ex Stoicorum sententia; sc. post seculorum consummationem, collabentes mundi partes, in ignem hunc medullio terræ contentum, esse delapsuras, atque ita mundum hunc flammis interiturum: juxta illud Ovidii:

*Esse quoque in fatis reminiscitur adfore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque Regia cali
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.*

V I.

Certum jam ex ante allatis, in cavitatibus subterraneis, magnam saepius existere exhalationum congeriem. Quo pacto autem subterraneus ignis modo memoratam materiam combustilem accendat, non difficile fuerit explicare. Cogitandum, rem eodem modo se habere ac in aliarum rerum incendiis, uti per attritionem in corporum duriorum collisione generatur calor; uti etiam si ferrum supra incudem tutuderis, aut lima poliveris; ut & vehementiori ventorum flatu integræ sylvæ aliquando inflammantur; aut terebra, qua lignum perforatur, aut ferra dum idem dividit, tantoperè incandescit, vel manu manum fricante utraque incandescit; vel denique uti ex attritu vehementiori duorum lignorum ad invicem ignis enascitur, uti & similia, quæ quotidiano constant experimento. Nimirum, Thespi 111. diximus, nullum corpus in ignem converti, propriè loquendo; sed in omnibus corporibus igneas particulas residere, quæ exinde variis modis elici possunt; vel motu quo violento, vel mediante calore alterius ignis, aut alio quovis modo corporum superficiem attenuendo, pori corporum, in quibus ignis latet, aperiuntur, igneaque particulae ex capsulis suis, ut sunt partes corporum aquosæ ac lubricæ, quibus implicate hærebant, excutiuntur; atque ita sibi mutuo proprius junctæ, corpora combustilia incendunt ac inflammat, siveque, flammâ flammis additâ, vi unitâ fortius urunt.

V II.

Ignis igitur, constans particulis maxima ex parte rotundis, mire subtilibus, motuque vario celerrimè concitatis, poros alimenti copiosius intrat, attenuat, comminuit, secat, frangit, dissipat, liquefacit,

facit, dissolvit, & in particulas quam tenuissimas convertit hamulos ramulosque, quibus ceu totidem carceribus involuta erant elementa ignea. Scilicet, si majore quantitate collectæ fuerint in angustiore & accuratius undique concluso loco, ibidem, quia spirituose sunt, diversissimæ naturæ, ingenti numero, inque spatio spiraculis destituto, diversissimis inter se motibus volitabunt, se invicem per frictionem attritionemque spirituum agitatione animatam attenuabunt, & eo usque contundent, ut ignis scintillæ, in iis majore copia hospitantes, prodire necessum habeant; quæ simili modo, auctis in intimo rerum naturalium centro subinde viribus, magna procurant Vulcaniorum incendia. Specimen istius dare potest foenum subhumidum, spirituosum, compactum, & angusto minusque perflabili loco conclusum; cuius alia ratio non est, cur, si recondatur antequam sit siccum, paulatim incandescat, flammamque sponte concipiat, quam quod multi spiritus, vel succi per herbarum viridium poros, ab earum radicibus versus summitates fluere assueti, atque ibi vias ad mensuram suam accommodatas habentes, maneat aliquan- diu in herbis excisis; quæ, si interim angustiori loco includantur, particulæ istorum succorum ex unis herbis in alias migrantes, multos meatus in ipsis jam exsiccati incipientibus, inveniunt paulo angustiores, quam ut illos simul cum aëre subire possint, ideoque sola materia igneâ eas circumdat; à quâ celerrimè impulsæ plures sui generis concitant, siveque foenum inflammant. At quanto facilius simile effectum copiosissimæ exhalationes subterraneæ producent? Similiter, uti ex cultro, dum acuitur, scintillæ prossiliunt; sic lapidum confictu & attritu ignem elici videmus. Quod etiam in percus- sione chalybis in silicem, ad oculum patet; ubi primum particulæ silicis ardentur, quæ dein libertate donatae, unæ ab aliis vehementissime in gyros aguntur, quo omnes aëris partes circumstantes disjiciuntur, unde materia ignei elementi circum cas confluit, & in lucidas scintillas convertitur, ex quibus flammans ignis excitatur. Tandem, experimur in nubibus nasci fulmen & fulgor ex corpusculis sulphureis, una cum vapore in sublime attractis ex subterraneo mundo mediante ejusdem igne genesin suam fortientibus; quæ cum à vehementiori solis æstu referta sint spiritibus igneis, ut & nitro- sis, ex vehementi nubium confictu attrita facile in ignem coalescunt, ubi particulæ nitrosæ agitatæ majorem locum requirentes, non aliter

10 DISPUTATIO PHILOSOPHICA

ac in pulvere nitrato, dum ex constipatis nubium repagulis exitum non inveniunt, violento quodam motu, quâ datâ portâ, tritti sæpiissimè strage, ruunt, & horrenda Tonitrua producunt. Quo simili Thesi i. ignivomos illustravimus: similes namque causæ Montium Vulcaniorum incensiones efficiunt; cum Thesi iii. ostensum sit, ventres eorum Sulphur, Nitrum, & immensam similium materialium copiam continere. Satis ergo perspectâ declarataque terribilium horum incendiorum causa, ad effectus properandum.

VIII.

Vidimus Thesi v. Terram nostrâm quam maxime cavam esse: de quo & Seneca hoc refert; sunt specus vasti, sunt ingentes recessus & spatiæ, simul abrupti in infinitum hiatus, &c. Et, ut dixit Corn. Severus, in Ætna.

*Quacunque immensus terra se porrigit orbis,
Extremique maris curvis incingitur undis:
Non totum est solidum; desit namque omnis hiatus.
Facta est omnis humus penitusque cavaata latebris,
Exiles suspensa vias agit.*

Similiter hoc de montibus concipiendum, illorum plerosque subtus cacos esse ac concameratos, quod probant montes aliquando absorpti, & novi renati. Refert junior Plinius, (cujus avunculus Plinius Major Vesuvii rabie suffocatus interiit) l. 2. c. 10. Suo tempore Lybotum altissimum montem, una cum oppido Eurite ita à terra devoratum, ut nulla ejus vestigia amplius dignoscerentur. Similem in modum, quod nec improbabile, quidam autumant, Sodomam, Gomorram, & circumiacentes civitates, cum toto terræ istius tractu, ingenti terræ motu absorptas fuisse. Novi quoque aliquando exorti fuere terræ tractus & montes; ut propè Puteulos in sinu Bajano novus mons surrexit ex mari, una nocte & sœvientis naturæ subterraneæ violentia, in omnium admirationem ac terrorem, qui & in hunc usque diem perseverat, nomine montis Sancti Triumphantis. Diligentissimus Historiographus S. de Vries in *Marium Admirandis* mentionem injicit novi cuiusdam montis ignivomi, orti in Nicaragua Americæ, qui erumpens magna vi montem precipitavit in vallem quandam, internecione omnium hanc incolentium Indorum. Meminit & alterius novi Vulcanii in Regno Neapolitano orti, non procul à Lucerni lacu: qui anno 1538. spatio quatuor & viginti

INAUGURALIS. 11

viginti horarum ad milliare Italicum supra telluris superficiem elevatus fuit ; cum tractus iste quibusdam diebus adeò terræ motibus continuis ac intolerabilibus infestatus fuerat , ut ne quidem domus intacta superfuerit à ruinosa strage , mari etiam ad ducentos circiter passus à littoribus recedente . Mons hic mediâ nocte protuberabat horrendo cum mugitu , strepitique formidabili , terribilem in modum faxa lapidesque eructans , conjunctâ tantâ cinerum copiâ , ut quod adhuc reliquum erat circumiacentium ædificiorum planè prosterneret , simul cum Tripergulae Thermis medicinalibus celebrissimis . Omnia vineta circumdata cinerum nimbis obruta conspurcataque in sterilitatem deducta fuere , omnes bestie & aves suffocatae interierunt . Ineffabili clamore cives Puzzoli nocte intempesta , nudi omnibus relictis Neapolim fugiebant . Materies , quæ ex centro montis continuo eructabantur , montem in immensum auxit . Lacus Averni meliori parte cineribus lapidibusque repletus fuit . E montis barathro terribilis exaudiebatur fragor . Nonnulli craterem ejus intueri cupidi , suffocati fuere . Orificio in montis cacumine obturatum jam est , nec flamas amplius emittit ; & horrendum tristisque incendiī spectaculum montem deseruit : summitas ejus lætissimo arbusto nunc confita est , abietibus valde luxuriantibus , summumque Patris Liberi cum Cerere certamen esse dicitur .

I X.

Ex hisce jam constat , Vulcanios consumptâ materia armistitium pati . Quidam nihilominus nocte dieque fumos emitunt , raro ignes , nisi interdum nocturno tempore , nec multum . Et quidni perpetuus hic affectus sit , cum Vulcanii crateres sufficiens igni fumoque pabulum possideant , ut in sequentibus demonstrabitur ? Pauxillum materiæ requiritur ad fumi conservationem , ut maxime rari . Quantam fumorum copiam & quandiu possunt emittere cæspites lignaque subhumida ? Si de nocte igniculi nonnunquam egrediantur , ex eo hoc derivandum , quod , halitibus fumi inter se colluctantibus , aut frigore nocturno claudente studiosius ignium semina , resumptis viribus tanto ferocius erumpant . Alia hujus phænomeni ratio non est , ac stellarum cadentium , aut draconum volantium , similius meteororum . De die quod non conspiciantur , minimè mirum , cum lumen solis intensius etiam stellarum , utpote debilius lumen spargentium , conspectum à nobis avertat . Hinc fulmina nocte intem-

pestā cameram obscuram ad stuporem irradiare possunt, non æque de die.

X.

Ignovimi tamdiu inducias agunt, donec novo aucti combustilis materiae commeatu, tandem crumpentes, longè atrociores exhibeant catastrophas, quando ad pristina bella redeuerat, dampnum diuturnioris silentii hac quasi ratione compensaturi. Tum quasi ex inferorum domicilio, in quo præter Dæmonum horribilia phasma-ta nil aliud deesse videtur, flamas sydera lambentes, torrentesque candentes emittunt; terribili fremitu ac horrendo cum fragore mu-gitibusque intolerandis, fumos subfuscis ignium globis interstinctos, montium ad instar, similiaque ex diversis locis continuò eructant; quibus terræ aspectus ad magnum locorum intervallum intercipi-tur. Quandoque tanto cum impetu ac vehementiâ, horrendisque fragoribus terræ tremore agitantur, ut supremæ montis partes in-genti illo motu concusse solutæque, collum ad instar in baratri fundum concidentes, ex varia soni reflexione, horribilem fragorem formidandum in modum edant, quem quispiam etiam imperter-riti pectoris sustinere vix possit. Verbo, quis non in his omnibus admirandam Dei O. M. potentiam intueri desiderans, naturæ miraculorum effectibus, ineffabilibus attonitus stupefactusque, intimo cordis affectu identidem exclamare cogetur? O altitudo divitiarum sapientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia tua, & quam investigabiles viæ tuæ, quibus Mundum condidisti! Mira narrantur de Ætna; cuius crateris barathrum tam profundum esse dicitur, ut omnem visum fugiat, ac adeò formidandum, ut nemo sine horrescentibus pilis, & vertigine capitis ipsum inspicere sus-tinet. Ita de ejus rabie cecinit jam olim Virg. Æn III. v. 571,

Horrificis tonat Ætna ruinis:

Interdumque atram prorumpit ad Ethera nubem,

Attollitque globos flammam, & sydera lambit.

Interdum scopulos avulsaque viscera montis

Erigit eructans, liquefactaque saxa ad auras

Cum gemitu glomerat, fundoque exastuat imo.

In furentem hujus voraginem Philosophum Empedoclem se præci-pitasfe ferunt, ut in Deorum immortalium numerum adscisceretur. De Vesuvii, Strongyli, Heclæ, nec non plurium Vulcaniorum incendi

incendii rabie non absimilia memorantur, quæ quis vera esse vix autumare posset, ni & nostra ætate similia accidisse relationes testarentur. Ut & nuperius ex novellis audivimus, Gynappe in Banda Indiæ Vulcanum, novo & formidabili incendio sæviisse, funesta strage verticem crateremque magna ex parte dejecisse, & ex imo barathri fundo insano cum strepitu ac fragore mugitibusque ineffabilibus, tantam faxorum vim & copiam in profluens mare ejecisse, ut in ipso juxta sc Vulcanellum quasi seu novum montem, altissimè ex aquis emergentem produxerit, cum mare illic anteà ad octoginta orgyas profundum extiterit.

X I.

Ad meliorem horum effectuum intelligentiam, solum attendi velim ad explosionem bombardarum, quarum in civitatibus expugnandis usus est. Si una modo exoneretur, tanto exinde aëris caligo, tantus fragor, ut primo instanti lateribus proximi è conspectu abripiantur, & surdastriam ad tempus patiantur. Quid si plurium explosio per dies aliquot continuetur, quanta non exinde expectanda caligo, quanta aëris collisio & ingens mugitus? At quantula est hæc materies, vastos adeò fumorum acervos nihilominus, horribilesque sonos per aëra dispersgens, si cum materia, quæ in Vulcaniorum barathris existit, conferatur? quantulus ignis ab incenso pulvere pyreo excitatus, compositus incendio Ignivomorum?

X II.

Hujus pulveris nitrati tria ferè solent esse ingredientia, sulphur, nitrum, ac carbones; nimirum, particulæ accensæ sulphuris & nitri se mutuo repellunt, & vehementiorem motum sibi mutuo imprimunt, per regulam motus, quo motus parvus velox producit motum magnum tardum; & contra. Sic & hic particulæ sulphureæ minores inducunt motum majorem in particulas nitrosas; hæ vicissim illis dant celeriorem. Hinc ita dilatantur, ut nitrosæ particulæ conicam figuram habentes, & mucrone suo majores describentes circulos, majus exigant spatium; ideoque angustiori loco conclusæ, impetum faciunt in corpora proxima, & horrendos illos, quos novimus, effectus producunt. Vir mirè industrius, Cæberrimus Boylæus ad oculum notavit, spatium, quod quodlibet granum pulveris pyrei incensum occupat, quinquagies millies superare illud non accensi. Vulcaniarum officinarum longè plura esse

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

ingredientia, præter hæc pulveris pyrei, ante dicta Thesi III. evin-
cunt; ut & earum effecta, de quibus adhuc paucis.

X III I.

Quidam ex familia præfecti Daniarum Regis in Islandia, Dithmarus Blefkenius, qui per annos aliquot illic degit, hoc tradidit de Hecla, celeberrimo istius Insulae Ignivomo, anno 1563, novo sœviisse paroxysmo, primò nocte mediâ flammam ex eo erupisse, quæ universam Insulam ad stuporem cujusque illustrabat. Flammæ juncta erant horribiles fragores, stridor, & tonitru subterraneum, tam horribile acingens, ut si innumera bellica tormenta simul exploderentur, nihil id comparatum ad hunc tremorem esset. Horrendus terræ motus fecutus fuit, quo adeò tota insula contremuit, quasi sedibus moveretur. Non potest cogitatione, nedum verbis comprehendи, quam horribile totum fuerit. Omnem Mundi Machinam corruituram dixisses. Novissimum ultimi judicii diem jam jam imminere incolæ crediderunt. Compertum est postmodum māre ad duo milliaria retrocessisse. Ad montis non modo hujus, sed & aliorum, mira hoc accedit, quod vertices eorum perpetua nive candeant. De Ætna Claudianus:

*Sed quamvis longo flamarum exuberet astu,
Seit nivibus servare fidem.*

X I V.

Sonus quid sit, non adeò obscurum. Quid enim aliud quam treacula aëris collisi quaquaversum in orbem undulatio? qui tanto intensior est, quo fortius aër afficitur. Et corpora, si ex sublimi deorsum ruant, notabiliorē edunt sonum. Hinc cum materia tonitruans (cujus ingredientia ejusdem sunt valoris, cum iis pulveris nitrati, ac Vulcaniorum,) inibi inclusa, exitumque moliens, claustra perfringit, aëremque lacerat, fragor enascitur, qui vel ipsos Caligulas metu fermè exanimet.

X V.

Hoc unum Philosophorum mirè torsi ingenia, unde novum semper ignis voracitati fomentum suppeditetur, quo, elapsis armistitii diebus, rursus ad Vulcania arma redeant ignivomi? Non aliunde, quam extrinsecè à fuliginibus scabritiei parietum crateris adhærentibus, solutisque in baratri fundum delabentibus; intrinsece verò per subterraneos meatus Geocosmi nova continuo materia ex pyrophylaciis,

phylaciis, (de quibus Thesi V. dictum,) afluente, atque ita Vulcianorum focum novo commeatu fœcundante. Incomprehensos hosce ductus ex Pyrophylaciis existere, qui cum omnium Ignivomorum crateribus commercium habere videntur, atque ita ignem assidue Vulcano Montium communicant, vel exinde colligi potest, quod thermæ & fontes quidam uniformi semper calore ferveant. Insuper nova materia in Ætnae barathrum intrudi potest ex aliis locis à marinis fluctibus & ventorum flatu per submarinos canales. Sic, ex allagine vehementi fluctuum in loca angusta, & agitatione spirituum materiæ combustilis, attritioneque pinguis aëris, materies mox ignem concipere potest.

X V I.

Adhuc alio modo post inducias de novo itur ad arma. Nimirum ruina parietis exusti alterius carceris, in quo sulphur, cæteraque combustilis materiæ miscella latitat: quo fit, ut novus aperiatur fons & origo, ad incendia de novo iteranda; si v.c. filex in silem decidens (de quo VII. Thesi dictum) scintillas emitat, quæ in substratam materiem prossilentes, eandem incendunt; atque ita etiam in novum Vulcanus incidit paroxysmum.

X V I I.

Satis jam clarè ac dilucidè concipere datur ex præcedentibus, perenne sic Vulcani foco posse satis largiter concedi pabulum, quo vel in æternum ardeant Ignivomi, hinc etiam multi Siciliæ ignivomum Ætnam, quasi eternam dicas, dictum arbitrantur, id est, æternis penè flammis æstuantem. Plurimi non capiunt, quomodo mons tam diuturnis incendiis neendum consumptus sit, neque ignis extinctus. Justinus, l.4. c. 1. autumat, fluctibus ali perpetuum Ætnæ incendium. *Neque enim (inquit) in tam angustis terminis aluer durare tot seculis tantus ignis potuisset, nisi humoris nutritientis aferretur.* Sed, ut opinor, non in eo satisfacit: nihil enim flammat alit, nisi in sinu ignem continens, qui non in aquâ licet falsâ justâ copiâ continetur; particulæ aqueæ & salinæ ignium motuim accelerare possunt, nequaquam vero addere novum. Nos verò diuturnum Ætnæ incendium non mirabimur, cum propter antè demonstrata satis constet, nullo unquam tempore fomentum ei ad perpetuanda incendia deesse posse. Incendia enim materiæ combustilis miscellam in cine-

res

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

res convertunt; quorum ingentem copiam, sulphureo fætore imprægnatam, ad maximum divertium, & borea spirante in Melitam insulam saepius transvexerunt, nil obstante vasto terræ marisque intersecti discrimine. Hinc sape interpositum mare totum fuit cooperatum & tectum cineribus; ex quibus aqua marinâ, ut potè falsâ, ideoque (uti supra Thesi III. notatum fuit,) flamas exasperante, & augente, mistis, renascitur novum perennis ignis pabulum, quod per ductus submarinos in Ætnæ abyssum propulsatum, Vulcani Incendium instaurat, & novum continuò somitem ei subministrat. Vides hic igitur miram indeficientemque naturæ in operationibus suis peragendis pericyclosin. Sic

Omnia continuò rapidos vertuntur in orbes,

Natura motus perpetuante suos.

Atque ita Ætna, æternum revera existit flammis æstuarium, in cuius fundi centro natura suum veluti focum constituisse videtur; vere Vulcaniæ culinæ officinam, sempiterno fumi flamarumque prosluvio fervidam, & in decoquendis sulphure, bitumine, naphta, metallis, cæterisque mineralium speciebus, aliquandis exurendisque, occulto quodam molimine funestisque stragibus, paulò post edendis, occupatam.

X V I I I.

Ingens Montium, de quibus hactenus differuimus, per universum Terrarum Orbem occurrit numerus. Celebriores in Europa sunt Ætna Siciliæ, (qui quasi omnium Vulcaniorum prototypus esse potest) Hecla Islandiæ, & Vesuvius Campaniæ. Africæ octo celebrantur. Plures in Asia. Nulla tamen Mundi pars celebriores, etiam plures, Vulcani officinas exhibet, quam America. In solo Chilensi regno ordine quatuordecim numerantur, in Peruviano non pauciores: ut alios Meridionalis Americae sileam. Neque ultima septentrionalis plaga illis distituitur, ne perenni frigoris glacieisque inclemtiâ damnata, planè sine ullo caloris remedio à naturâ relicta videretur. Omnium ferè in historicorum monumentis memorabiliores exstant eventus, quos omnes enarrare supervacaneum fore ratus sum; neque animus est ad particulares descendere, cum eorum diversitas à variis circumstantiis dependeat. Et nullus dubito, quin per fundamenta à nobis antè posita, circumstantiis accommodata, omnia, quæ in particularibus occurrunt, exponi possint.

XIX. Co-

XIX.

Coronidis loco adhuc adjiciens de Vulcanio monte quid insolitum, quod Architalassus Daniarum Regis N. Zenetus, hujus inspecto, hunc in modum retulit. Non procul ob Ignivomo est monasterium S. Thomae Dominicanorum, extrectum ex tophis, quos mons evomuit, qui perfusi aquâ pingui, quasi adhibito bituminè conglutinati sunt. Hæc aquâ igniti fontis est, qui ex pede Montis erumpit; cujus fontis aquis, per tubos derivatis, non modo omnes cellæ Monachorum instar Hypocaustorum calefiunt, sed etiam cibi, imò & ipse panis, coquuntur. Hic etiam horti pulcherrimi, aquâ fervente irrigati, in quibus flores & fructus omnis generis. Hæc autem aqua ubi hortos pertransit, cadit in vicinum sinum seu portum, quo fit, ut nunquam gelu concrescat, ideoque eo appellant pisces & volucres innumeri, quibus incolæ ad satiatem vescuntur. Neque ultimi hujus ignitum effecti, sc. hujuscemodi aquarum calidarum, causam scrutari, cuiquam erit difficile, qui eas ex flammivomis scaturire attendit. Ante vidimus quanta horum Ignivomorum ignis effecta edat; itaque focus, qui tanta præstare potest, quid ni aquam in fontis Hydrophylacio sibi vicino ad summum fervoris gradum perducat? Imprimis si pinguis extiterit, ut pote ad calorem diutius conservandum habilior.

XX.

Denique, si quæ de Ignivomis montibus allata sunt ritè perspiciantur, non adeò arduum fuerit, propter materiæ affinitatem, Speculum ardantium, Terræ motuum, & quæ consimilis naturæ sunt, causas reddere: sed hoc impræsens præter institutum est. Quare

Hic teneat nostras anchora jacta rates!

FINIS.

A N N E X A

Ex omni Parte PHILOSOPHIAE.

I. EX PHILOSOPHIA IN GENERE.

1. **P**HILOSOPHO expedit, ut in philosophando sit memor aurea
istius Gnomæ: Amicus Plato, Amicus Socrates, sed magis
Amica Veritas.
2. Convenit tamen tyronem manuductoris cuiusdam optimi vestigia pro
tempore sequi.
3. Et hæc non male Aristoteles: Oportet discentem credere.
4. Cum veritas veritati contrariari non possit, vera PHILOSOPHIA
revelata THEOLOGIÆ adversari nequit.
5. Imo licet PHILOSOPHO Christiano sua philosophemata etiam ex S. li-
teris confirmare.
6. Veritas revelata rationis naturalis examini non est subiecta.
7. Sensuum testimonia magnum sunt in philosophando subsidium.

II. EX METAPHYSICA.

1. **M**ETAPHYSICÆ axioma primo. primum, ac evidenterissimum est:
Impossibile est idem simul esse ac non esse.
2. Quod ejus est veritatis, ut negatione confirmetur.
3. Etiam si vel verissimum foret, quod clara & distincta perceptio sit sem-
per vera, non ejus tamen quem volunt in philosophando esset usus.
4. Veritatis ratio formalis consistit in convenientia rei, non cum sua de-
finitione, sed cum Ideâ in mente Divina.
5. Quinta causa Platonis, Exemplar seu Idea, ad causam efficientem
Instrumentalem revocanda.
6. Non omnia, quorum unum clarè & distinctè concipi potest, non con-
cepio alio, ab invicem realiter distinguuntur.
7. Nihil est in intellectu, quod non antea quodammodo fuerit in sensu.
8. In causarum subordinatione progressum dari in infinitum, implicat.
9. Libertas non consistit in indifferentia, sed in rationali complacentia:
ex quo optimè cum aliquâ necessitate consistere potest.

MA

III. Ex

III. Ex PHYSICA.

1. PHYSICUM in causas corporum possibles, cum de actualibus constat, inquirere, est absurdum.
2. Motus liquorum in Anthlia, Tuboretorto, &c. est vacui-fugitorius.
3. In fonte vero Heronis fit per pressionem.
4. Causa motus reflexi est arcus subsidens, & resiliendo corpus excutiens.
5. Absurda est de anima Mundi Platonis sententia.
6. Non datur essentialis clementorum transmutatio; per consequens corpora accensa non convertuntur in ignem.
7. Ubi ignis abest, ibi frigus est, & corporum consistentia; hinc aqua, ut elementum, est glacies.
8. Ovum cum fœcundo semine est commune principium omnium animalium.
9. Ideoque ullum animal aut quoddam vivens gigni posse à sole ex pura materia, negamus.

IV. Ex MATHESSI.

1. MATHEMATICARUM disciplinarum princeps est Arithmetica.
2. Dua sunt Arithmetica species prima; Additio & Subductio.
3. Proportionem inter Diametrum ac Peripheriam: 2. Chron. 4. 2. variis modis, etiam Geometricè esse posse accuratam, assertimus.
4. Due rectæ in infinitum productæ, continuo ad se invicem accedere possunt, nunquam tamen coincidentes.
5. Putei perpendicularis fundus minoris est diametri, ac superior ora.
6. Omnia instrumenta mechanica commode revocantur ad tria: n. Vitem, Planum inclinatum, Trochleam.
7. Libra vacue aequilibrantes possunt esse fraudi obnoxia.
8. Uranometria conjecturalis fere est.
9. Posset corpus aliquod, Lunam remotius à nobis, conspectum Luna impediens.
10. Luna revera est magnum Luminare.
11. Systema Tychonicum, ut Sacris consenseremus, nec natura adversum, Copernico & Ptolomaico preferimus.
12. Cur chorda celeriter vibrata gemina appareat?
13. Item, cur instrumentis Musicis pulsata unius chordæ, alterius alia

alia ad unisonum tensa, non pulsata, sonum edat?
14. Cur cava manu auri admota, melius audiamus?

V. Ex PNEUMATICA.

1. **PNEUMATICA** est scientia specie distincta à Metaphysica ac Theologia.
2. Angelos dari, Lumine naturali non demonstratur.
3. Essentia spiritus non consistit in cogitatione.
4. Inter intellectum ac voluntatem nullum reale discrimen est.
5. Acquisita de Deo notitia ex naturā, est per viam causalitatis.
6. Claram ac distinctam Ideam nemo creaturarum habere potest.
7. Conservatio est actio Dei positiva s non Annihilatio.
8. Anima humana naturā suā est immortalis.
9. Spiritus revera sunt alicubi.

VI. Ex ETHICA.

1. **ETHICA** disciplina est distincta à Theologia.
2. Ethices idoneus auditor juvenis est.
3. Affectus omnes oriuntur ex amore.
4. Idem nec toto genere mali sunt.
5. Bona fortuna non faciunt ad esse summi boni, sed ad bene esse.
6. Non sunt fortes qui peritura artis gladiatoria nitentes, alium minus peritum aggreduntur: nec Duellatores.
7. Multo minus illi, qui sibi ipsis ex desperatione quadam violentas manus inferunt.
8. Nauta puluerem pyreum incendentes inter αὐτοφόρους numerandi sunt.
9. Puella impunè pudicitia invasorem potest occidere.
10. Perfecta amicitia cum pluribus colè non potest.

VII. Ex OECONOMICA AC POLITICA.

1. **OECONOMICA** non est Politica appendix, sed naturā prior.
2. Adulterium non modo iheri & mensa consociationem, sed & ipsum solvit conjugium.
3. Contrabens cum Eunucho non tenetur vinculo matrimonii.
4. An

4. An PHILOSOPHO ducenda struxor? quod!
5. Politica Ethica subordinanda venit.
6. Hac in genere erit præstantissima Reipublicæ forma, qua genio cuiusque populi optimè est accommodata.
7. Monarchia & Aristocracia videntur forma Rerum antiquissima.
8. Jus Dominationis, Religionis, jure naturæ ac gentium excepto, ur gente necessitate non modo licitum, sed & aliquando necessarium.
9. Lex absque sanctione penalی nullius est.
10. Vir bonus in bello civili neutrarum partium non potest esse.
11. An possit Tyrannus Imperio spoliari? Affr.

VIII. EX LOGICA, RHET. AC GRAMM.

1. AN LOGICA sit pars Philosophia? Est questio de lana caprina.
2. Logica recepta ac vulgaris ad omnium aliarum disciplinarum bene esse, est perquam necessaria.
3. Optima Logices divisio est, juxta apprehensionem simplicem, iudicium, & discursum.
4. Thema universale ante menis operam non datur.
5. Possunt concurrere veritas Ethica, & falsitas Logica; vel, contra.
6. Omnis relatio exigit fundamentum.
7. Quarta figura, vulgo Galenica, potest admitti.
8. Omne Sophisma est Paralogismus.
9. In methodo naturali à notiore ad minus notum est procedendum.
10. Rhetorica, nec Grammatica sunt pars Logica.
11. Literæ jam ante diluvium inventæ videntur.
12. Nulla lingua est homini naturalis; adeoque nec Hebraæ.

F I N I S.

OP HET
NATUURKUNDIG ONDERZOEK
VAN DEN AART DER
BRANDENDE BERGEN,
BESCHREVEN EN BEWEERT DOOR DEN HEER
ABRAHAM GERHART BOKSTADT,
STAANDE NAAR DERE DER
MEESTERSCHAP VAN EDELE WETEN-
SCHAPPEN IN DE HOGE SCHOLE
VAN UITRECHT.

Felix, qui potuit rerum cognoscere causas.

E werelt stont van outs verwondert
By hoge bergen, licht in brant;
Daar Etnaas keel zyn ingewant
Benaawt van uitspuwt, dreunt en dondert,
In barens pyn vervaarlyk zucht
En huilt, een zee van vlam en vonken,
Met golven viers, uit zyn spelonken,
Met rotsen, slingert in de lucht,
Van damp en dikken smook beweven,
Dat lant en volk van dootschrik beven.

Geen stof was ryker by poeten
Van logenkunst, Parnassus vont:
Het zy Enceladus, gewont
Van blixem, daar legt neergesmeten;
Of reus Tyfoeus, door 't gebergt
Geplet en half gesmoort, blyft razen,

Noch

Noch vier en rook ter kele uit blazen,
Noch spartelt, en zyn gramschap tergt,
Dat gansch Sicilje met zyn steden
Dan kraakt van boven tot beneden.

Maar al dees wondren zyn niet wonders,
(Al staat onkunde daar versuft,
Van brein berooft) voor vlyt, vernuft,
En yver van natuurdoorgronders;
Die aller dingen aart ontkleēn,
En wat Natuur in duifre holen
Van haren boezem zit gescholen,
Verstaan, van lit tot lit ontleen.
Zo peilt hier BOKSTADT zelfs de gronden
Der bergen, vreemt van ydle vonden.

Hy laat u geen bescheit ontberen
Van d' oorzaak, die de bergvlam spyft,
Melt haar geboorte, en hoeze ryft,
Of sterft, gelukkiger in 't leren
En volgen van der wyzen les,
Dan Plinius den berg genaakte,
Die zyn bederf met vier uitbraakte;
Ook wyzer dan Empedokles
Naar godlyke eer ooit heeft gedongen,
In Etnaas schoorsteen los gesprongen.

Hy poogt den voorgang na te streven,
Dat heerlyk voorbeeld, van D E VRIES,
Van traagheit schuw en tydtverlies;
Van lust en yvergloet gedreven,
Om met een eerkroon op zyn hooft
Van kuns en eedle wetenschappen,
Dien groten meeester na te stappen;
Met zulk een krans, die glans verdoost

Van

Van gout en diamante stralen,
Ter hoge School van 't Sticht te pralen.

Zo houdt hy d' eer noch onbedorven,
Die last by veel veraarden lydt;
Hem van zyn' vader, grootvaârs tydt,
En overgrootvaâr aangestorven:
't Zy in Machaons kunst volleert,
Of om uit Roomscbe en Grieksche blaren,
Als byen, honig te vergaren;
Met zorg, die scholen dient en eert,
Of Christus kerk niet plag t' ontbreken,
Daar Heidelberg van wist te spreken.

Wie kan de loflyke eerzucht laken
En leerzucht, die dees pryzen strykt;
Een' gloet, die 't heetste vier niet wykt,
Dat vier - en zwavelbergen braken?
De stof, die bergen zet in gloet,
Door vlam, haar voesterling, geschonden,
Neemt af, vergaat, allengs verflonden:
Maar lof, die 't vier van lofzucht voedt,
Blyft altyt weer nieuw voetsel geven,
En met dien brant onendig leven.

Zynen Neve toegezongen door

J. VOLLENHOVE,

Dr. der H. Theologie, en Pre-
dikant in 's Gravenhage.